



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

127 Idèo dilexi mandata tua, super aurum & topazion.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](#)

127 Ideò dilexi testimonia tua super  
aurum & topazion...

**S**ummum legis di-  
uinæ pre-  
tium.

**Iob 28.**

**Q**VI D aurum, quid ophir, id est pu-  
rissimum aurum, quid topazius, quid  
pretiosa omnia ad mandata tua? Nonne  
ipsa est sapientia, de qua dicitur. Non da-  
bitur aurum obrizum pro ea, nec appen-  
detur argentum in commutatione eius:  
non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec  
lapidi Sardonicō pretiosissimo, vel Sap-  
phiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vi-  
trum, nec comitutabuntur pro ea vasa au-  
ri. Excelsa, & eminentia non memorabū-  
tur comparatione eius. Non adæquabitur  
ei Topazius de AEthiopia, nec tincturæ  
mundissimæ componetur? Quid ergo ma-  
gnum, si super aurum electum, & Topaziū  
mandata Dei dilexit? Sed vtique illa po-  
suit, quæ hominum error facit, aut magis  
æstimat pretiosa. Nam & alibi dicitur.  
**Psl. 2.** Quantum distat ortus ab occidente longè  
fecit à nobis iniquitates nostras, non quod  
non longè incomparabilior sit distantia  
gratiæ à peccato, sed quia in rebus visibi-  
libus nulla maior appetet distantia, quam  
ab oriente ad occidentem. Ita & hic: quo-  
niam apud homines ea sunt in admira-  
tione, ostendit se longè trascendisse hu-  
manas phantasias: ac legem Dei, quæ in-  
finitus thesaurus est, sc. omnibus, quæ

hui-

humanitus desiderari possunt, prætulisse. Cetera  
Et merito. Hæc enim animū non replent, *inanis*,  
sed occupant: nec ad animam, vbi interior  
satietas quærenda, & inuenienda est, per-  
tingunt. Sua autem perniciitate eunt, quo  
eunt, & consindunt animam desiderijs  
pestilentiosis. Non enim vel ad momen-  
tum stant, sed fluunt, & rapiunt amantes  
suo impetu ad amaritudinem turbulentis-  
simæ salsuginis. At contra, mandata Dei *Heb. 4:6*  
stabilunt animam, & replent: &, quia us-  
que ad diuisionem animæ, ac spiritus pe-  
netrant, ibi pascunt, ibi nutriunt, ibi sa-  
tiant, vbi fames est. Felix anima, quæ mā-  
data diligit. Nam dilectio onus tollit, gu-  
stum reddit, palatum renouat: ad internam  
experientiam, & satietatem dicit.

128 Propterea ad omnia manda tua  
dirigebar, omnem viam iniquam  
odio habui.

**B**is est omnia, in Hebræo, ut ostendatur Dirigebar  
emphasis. Ad omnia, ad omnia, in- primo,  
quam, manda tua, non ad ynum, aut al- cursu ad  
terum, non ad facilia tantum, & quæ dele- ea.  
stant, sed ad omnia etiam aspera, & ardua:  
ad omnia, inquam, dirigebar: id est, recto,  
& facili cursu ferebar. Amor enim dicit,  
& portat. Dirigebar quoque rectissima Secundò,  
existimans. Nihil enim in tua lege inue- rectissima  
nire potui, quod non rectissimum, atque iudicans.  
æquif-